ecclesia quo non haberet maculam neque
rugam. Huic deus auditu aperuit omnibus filiis
abrahe et ysaac et iacob ut sint in fide
ecclesie et non in fidelitate synagoge.
Conuertimini ergo et intrate in gaudium
abrahe patris uestri quia quod ei promisit dominus ad-
impleuit. Unde et propheta canit. Iurauit
dominus et non penitebit eum. tu es sacerdos
in eternum secundum ordinem melchisedech.
Sacerdos enim in eternum factus est. cum hostiam
sui corporis et sanguinis pro eo solo sacri-
ficium prebuit. Hec et hiis similia dicentibus
petro et paulo plus maxima pars plebis cre-
didit. Et pauci fuerunt qui et ipsi simulata
fide non tamen aperte possent eorum negligere
monita et precepta. Videntes autem maiores
synagoge et gentium pontifices sibi predi-
cationem eorum finem specialiter fieri ege-
runt hoc ut sermo eorum in murmuratione
populi veniret. Et inde factum est ut symonem
magum neroni preferrent et istos culparet.
Innumerabiles enim populi dum conuerterent
ad dominum per predicationem petri. contigit etiam
vxorem neronis lybiam. et agrippe pre-
fecti coniugem nomine agrippianam ita
conuerti ut a latere se suorum maritorum
auferrent. Per pauli vero predicationem
multi deserentes militiam adherebant
deo. ita ut etiam ex cubiculo regis veni-
rent ad eum. et facti christiani nollet re-
uerti ad militiam neque ad palacium. Cum
populus sediciosam murmuracionem ageret
symon excitatus est in zelum. et cepit de
petro multa mala dicere. dicens eum magum
esse et seductorem. Credebant autem illi hii
qui mirabantur signa eius. Faciebat autem
serpentem ereum mouere se et lapide-
as statuas et ereas ridere et se mouere.
Seipsum autem currere et subito in aere videri.
Contra hec petrus infirmos curabat
uoce. cecos videre faciebat orando. De-
monia iussu fugabat. Interea et ipsos
mortuos suscitabat. dicebat autem ad populum
ut ab eius seductione non solum fugerent
sed etiam detegeret eum ne viderentur dya-
bolo consentire. Sicque factum est ut omnes
religiosi viri execrantes symonem ma-
gum et sceleratum eum assererent. Sy-
moni vero adherentes petrum magum
quod ipsi erant cum symone falso testimonio
asserebant. Qui sermo usque ad neronem

cesarem peruenit. et symonem magum ut
ad se ingrederetur precepit. Qui ingressus
cepit stare ante neronem cesarem. et
subito mutare effigies. ita ut fieret subito
puer et post hec senior. Mutabat sexu
et etate et per multas figuras diaboli
ministerium peragebat. Quod cum videret
nero hunc esse dei filium estimabat. Petrus
vero apostolus dicebat eum furem esse et men-
dacem. magum turpem sceleratum apo-
staticum et in omnibus dei preceptis contemp-
tibilem et aduersarium veritatis. Nichilque
ei superesse nisi ut iussu dei eius iniqui-
tas manifestata omnibus panderetur.
Tunc ingressus ad neronem symon magus
dixit. Audi me bone imperator. Ego
sum filius dei qui de celo descendi. Usque
modo solum petrum qui se dicit apostolum pacie-
bar. nunc vero geminatum est malum. Paulus
denique qui et ipse eadem docet et contra
me sentit. similiter dicitur cum eo predicare. Quos
constat. quia nisi de interitu eorum cogi-
taueris regnum tuum stare non poterit.
Tunc nero sollicitudine cumulatus fe-
stinanter ad se eos iussit adduci. Illa autem
die cum introissent ad neronem symon
magus et apostoli christi petrus et paulus. symon
dixit. Hii sunt discipuli illius nazarei quibus
iam non est tam bene ut sint de plebe
iudeorum. Nero dixit. Et quis est iste na-
zareus? Symon respondit. Est ciuitas in
iudea que semper aduersum vos fecit
hec nazareth dicitur. ex ea fuit magister
eorum. Nero dixit. Deus omnem hominem
monet et diligit. tu quare persequeris? Symon
dixit. Est enim hominum genus qui totam
iudeam peruerterunt. ne michi crederet.
Nero autem ad petrum ait. Cur ita tam perfidi estis
vos ut genus vestrum? Tunc petrus ad symo-
nem ait. Omnibus imponere potuisti
symon. michi autem nunquam. Ipsos autem
quos decepisti per me. deus de suo errore
reuocauit. Et cum certum sit tibi quod me
superare non possis. miror qua fronte
in conspectu regis te iactas. et putas
per artem tuam magicam christi discipulos
posse superare. Nero dixit quis est christus?
Petrus respondit. Hic est quem hic symon
magus se esse affirmat. Hic autem est homo
nequissimus. et opera eius diabolica

License: CC-BY-NC – St. Gallen, Stiftsbibliothek, Cod. Sang. 610, p. p.%20134 – Computistic Texts and Tables; Lives of Saints and Martyrs; Casus sancti Galli etc. (http://www.e-codices.ch/en/csg/0610/p.%20134)